

Heu puero extincto tabescit copia florum !
 Myrti rore levi spargens , & olentibus herbis ,
 Et myrrhæ succo circum line : sed male & ipsa
 Jam pereunt unguenta , tuo jam perduto Adoni !

Puniceo recubat compostus tegmine Adonis
 Ah ! tener , & flentes circum lacrymantur Amores ,
 Flaventes tonsi crines . hic spicula calcat ,
 Ille arcum , pharetramque alius defringere gestit ;
 Alter vincla pedum solvit , fontemque lebetes
 Aureolo gerit alter , & undis vulnera tergit ,
 Pone alius puerum leviter dum frigerat alis .

Ipsam heu ! heu ! Cyprin lugubre queruntur Amores.
 Jamque faces extinxit hymen in limine , & ipsa
 Pronuba disruptit male sarta : haud amplius Hymen ,
 Amplius haud Hymen circumsonat undique , at heu ! heu !
 Triste sonas , o Adoni , sonas triste heu , Hymenæ !

Flent Cyniræ gnatum Charites ; formosus Adonis
 Heu periit , dicunt alterna voce querentes ;
 Dicunt voce magis resona , quam tu ipsa , Dione .
 Flent etiam Parcæ , Parcæ lacrymantur Adonin ,
 Et revocant cantu : nequit ille audire vocantes ,
 Non quod nolit , eum sed quod Proserpina frænat .
 Ergo modum lacrymis nunc pone , epulisque paratis
 Indulge , Cythetea : alio plorabis & anno .